





119

1. *De rebus, de rebus et de rebus*

2. *De rebus, de rebus et de rebus*

3. *De rebus, de rebus et de rebus*

4. *De rebus, de rebus et de rebus*

5. *De rebus, de rebus et de rebus*

6. *De rebus, de rebus et de rebus*

7. *De rebus, de rebus et de rebus*

8. *De rebus, de rebus et de rebus*





1681,

1. Gerdarius, Fridricus: De naufragio et naufragorum
jure.
2. Gerdarius, Fridricus: De collectis et contributionibus
imperii ac provinciarum
3. Mascovius, Petrus: De personis iudicium constitutibus.

1682.

1. Gerdarius, Fridricus: De obligatione successorum.
2. Gerdarius, Fridricus: De inofficiosa principis litera.
Et late usq. revocatione.
3. Mascovius, Petrus: Disputatio inaug. continens
synopticam tutelae maternae tractationem.
4. Mascovius, Petrus, Fac. jur. Decanus: : Programmata, quae
. . . et Disputationem inaug., quam de tutela mater-
na Henricus Michaelis dehebit iurata 2.
5. Mascovius, Petrus: De praecipuis ingratitudeis specie-
bus eorumque poena.

1683.

1. Gordenius, Fidericus : De pactis totalibus.
2. Gordenius, Fidericus : De jure finium.
3. Helwigius, Christophorus : De sanguine
4. Maucorius, Petrus : De eo, quod justum est circa
prodigos.
5. Maucorius, Petrus : De eo, quod justum est, circa
veniam aetatis

1684.

1. Gordenius, Fidericus : De jure congrui
2. Maucorius, Petrus : De juramento calumniae . . .
3. Maucorius, Petrus : ^{Disputatio j. m. inq. continens} De methodicam depositi irregularis
delincationem. ^{Disputatio inq. juridica entibus}
4. Maucorius, Petrus : De Synoptica ^{empyheos}
tractatione.

1685

1. Carocius, Alexander : De immunitate nobilium
a collectis subsidiariis

1685.

2. Gerdinius, Fridonicus: De regressu, Gem. Regress. Regr.
3. Felgen, Laurentius: Disputatio philologica proz
continens ἀρχαῖον, dicti Jobi Cap. 38. vers. 31. 32.
4. Prosthencherus, Joh. Christophorus: Quoti des Cartes problema
--- , quod meus humana semper cogitet.

1686.

1. Buchnerus, Inertus: De eo, quod iustum est circa
nuptias. —
2. Gerdinius, Fridonicus: De jure mariti singulari.

32094

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



15758
Programma

1682, 4

8

Quo

MAGNIFICUM DN. RECTOREM

Generosum, Nobilissimum, Amplissimum, plurimumq;
Reverendum, Dicastery, Academiae, Urbis, sacriq; Or-
dinis Senatum, omnium Facultatum Doctores, Licen-
tios, Magistros, caeterosq; Cives Academicos
ac literarum Fautores

PETRUS MASCOVIUS,

U. J. D. Profess. Ordinar. & Regii Consistorii Assessor,
Juridicae Facultatis PRO-DECANUS,

Suo & Collegii juridici nomine

ad

Disputationem Inauguralem,

Quam

De

TUTELA MATERNA,

Clariss. & Consultiss.

DN. HENRICUS MICHAELIS,

Pro summis in utroq; jure honoribus ac Privilegiis
rite & solenniter consequendis

Ad VIII. Junij in Auditorio Majori habebit

sedulo, peramanter & officiose invitatur.



GRYPHISVALDIAE,

ETypothesiâ Beati MATTHÆI DOISCHERI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXXII.

Quod excelsi ingenij Vir & Jurisconsultorum acutissimus
Æmilius Papinianus lib. 31. questionum, effa-
tum memoria prodidit: In multis rerum arti-
culis deteriorem foeminarum esse conditi-
onem, quam Masculorum: Ejus veritatem si quis in
discrimen vocet, innumeris, quæ in ipso jurisprudentia
Romanae deprehenduntur meditullio, vestigiis adstruere
integrum foret, nisi pagellarum raritate excluderemur:
vel unicum hoc sat firmum sua certitudine argumentum,
id edocebit, quod Masculi quamprimum puberes facti
à tutela liberati; Fœmina verò post expletum 12. ætatis
annum, & ubi viripotentes jam evaserint, perpetua
tutela rigori adhuc suppositæ suis se constanti calamo scri-
bantur. Equidem in toto jure justiniano nulla perpetua
hujus tutelæ injicitur mentio; prostant tamen infinita
Historicorum partim, partim Jurisconsultorum & Oratorum Ro-
manorum monumenta, quorum fide æq̃ indubia eam
asserere licet & constabilire. Audiantur hunc in finem
Ulpiani Jurisconsultorum Coriphæi in fragm. justit. tit. 12. sic
consignata verba: Tutores constituuntur tam Masculis,
quam foeminis: sed Masculis quidem impuberibus
duntaxat propter ætatis infirmitatem; Fœminis verò
tam impuberibus quàm puberibus & propter sexus infir-
mitatem & propter forensium rerum ignorantiam:
Ciceronis itidem in Orat. pro Muræna: Mulieres omnes
propter infirmitatem Consilii Majores in Tutorum
potestate esse voluerunt. A quibus non abluat M. Porc.

Cato

Cato apud Livium lib. 34. Histor. in Orat. pro Oppia lege. Qui, Majores nostri, inquit, nullam ne privatam quidem (causam) agere foeminas sine authore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum &c. Acclamat & L. Valerius Tribunus pleb. quando in Orat. pro abroganda L. Oppia Quirites ita alloquitur: Minus filia, uxores, sorores quibusdam in manu erunt? & paulo post: Vos in manu & tutela non in servitio debetis habere eas: Succinit Sev. Boetius lib. 2. in Top. Cicer. Ubi eas antiquo jure perpetua contineri tutela adseverat. Unde verò hac suam traxerit originem, inter eruditos dubio Marte pugnatur. Legibus à Decem viris latis XII. scil. Tab. natales ejus deberi censet ex aliis Theodorus Marcilius, cujus meminit Rittershusius in libr. Dodcadeltos lib. 2. class. 3. c. 13. sed quem & simul rectè videtur refutasse. Non enim, si quid Majores ante Catonem vel Ciceronem voluerunt, statim existimandum est hoc ad decemvirales leges referendum esse: Siquidem vero videtur similius, hoc perpetuae, cui subesse mulieres jubebantur, tutela jus eodem modo, quo alia quamplurima, ad Rempubl. Romanam à Gracis dimanasse, quippe quibus mos erat dandi foeminis tutores, sine quorum arbitrio & auctoritate nil rite agere valerent. Evocandus hic in testem locupletissimum Demosthenes, qui in Orat. adversus Neeram: Lex, inquit, jubet, si quis uxorem ablegaverit, restituere dotem; alioquin sesquicentiesimam dotis pensitare licere Tutori, qui

scil.

Tcil. mulierem in potestate habet : & rei uxoriæ aut ex
stipulatu agere ad dotis restitutionem. *Compellendus*
& Cicero, qui ulteriorem ejus rei fidem faciat, quippe
qui in Orat. pro L. Flacco his utitur verbis : Emptiones
falsas, prædiorum præscriptiones cum mulierculis
aperta circumscriptione fecisti, Tutor his rebus Græ-
corum legibus adscribendus fuit. *Colligere ex his omni-*
bus in proclivi est, id, quod de Majoribus à Catone &
Cicerone relatum legimus, de moribus & tacito potius
quam expresso populi Romani consensu, vel lege quadam,
Scito vel plebiscito speciali accipiendum. Sed ne longius
in immensum antiquitatum pelagus nostra se diffundat
Oratio, inbibetur optimum est, intraq; portum recipi-
atur. Quoquo enim modo se res habeat circa originem
& qualitatem prisce fœminei sexus tutela, in hoc certi-
ores sumus, quod recentior Nomothesia sequiori sexui
fronte se exhibuerit sereniori manuque indulgentiori.
Namq; quod olim Augusto Livia uxor & Octavia soror,
facultatē impetrantes liberam de bonis suis citra Tutoris
authoritatem disponendi, tanquam singulare privilegiū
acceptū tulisse à Dion. lib. 49. feruntur, id nunc ex equo
omnibus omninò mulierculis jure communi liberalius
concessum deprehendimus, hætenus quidem, ut non tan-
tum, pariter ac masculi, quamprimum puberes esse cœpe-
rint, sed & duobus annis citius à tutelis liberentur.
Quid? quod olim quæ in perpetuum quidem (semper
enim mulieres manebant) ipsæ aliena regebantur tutela,
nunc

nunc aliis tutandis rectè præfici mereantur. Quam-
tumvis enim Tutela ex effato Caji virile sit munus, &
ex Imperatoris Alexandri rescripto, ultra sexum fœmi-
neæ infirmitatis officiū, Matri tamen, & Avie ob summā
qua prolem suam sexus hic prosequitur, pietatis charita-
tisq; affectionem, liberorum suorum tutelam comitas
nostrarum legum humaniori consilio permisit. Pateret
nobis campus hac de tutela fœminea uberius disserendi
nisi Clarissimus ac Consultissimus Candidatus DN. HEN-
RICUS MICHAELIS, integram suam Inauguralem de
eā scripsisset Disputationem. Quare isto labore super-
sedemus, pauca quedam ejus de vita & studiorum curri-
culo ex more præfaturi. Natus est in ipso hoc Musarum
nostrarum sinu Anno seculi hujus 1652. Genitore Viro
Nobilis. Amplis. atq; Excellentissimo DN. HENRICO
MICHAELIS, Patrem suum HENRICUM MICHA-
ELIS, U. J. D. & Reverendis. Illustrissimiq; Episcopi
Lubecensis Secretioribus adhibitum Consiliis, nomine
non magis quam re, ut ajunt, exactissimè referente,
quippe itidem J. U. D. & primum Universitatis, quæ
hic est, politices Professore publico, per breve id tempus
quod muneri huic præfuit, sanè fidelissimo: postea Urbis
Stralsundensis Syndico gravissimo: Inde iterum Kilo-
nium evocato ad professionem juris ordinariam, eiq;
munere uti summa cum industria ita maxima cum laude
perfuncto: Deniq; Lubeca, quam natale solum habebat,
Syndico famigeratissimo, deq; Urbe hac imperiali longe
meritis-

meritissimo. Matrem habuit, & per DEI gratiam adhuc
habet, foeminam pietate & virtutibus sexus sui ornatis-
simam MARGARETHAM Schmiedes. Ex tam claro
stemma oriundus, ut acceptam à Majoribus gloriam
& sua augetet virtute, parens prout ipse literarum
Scientissimus, ita omnibus quibus aetas puerilis impertiri
debet, eum erudiri fecit doctrinis. Etenim Penatibus
Sundum transportatis, Scholae, quae ibi frequentatur,
alumnis adscriptum, private imprimis B. Henrici HOR-
NÆI curae commisit. Translocata dein Kilonium fami-
lia, domi privatos ei aluit Informatores. Inde revocatus
Lubecam, sede inibi fixa Scholae Urbicae creditum tam
private quam publice DNORUM Collegarum subdidit
informationi, & B. quidem HERMANNI
NOTELMANNI, Scholae Rectoris ut puriori latinitate
& Logica & Metaphysicae principiis imbueretur: B. DN.
JOHANNIS POLZII, Con-Rectoris, ut Autoribus clas-
sicis ritè exponendis asfuesceret: DN. DAVID Brüggen/
ut artem Poeticam addisceret. Dehinc altioribus aptus
à DNO. Parente ad Regiam hanc amandatus Acade-
miam, Amplissim. DN. M. FRIDERICUM DEDE-
KINDUM, Log. & Metaphys. Profesf. Ordin. Avi non
minus quam Ephori vices explentem inq; Logicis &
Metaphysicis Informatorem fidelissimum: In Moralibus
verò & Politicis Excellentiss DN. JACOBUM HEN-
NINGIUM, tum temporis Moralium Profesf. publ.
nunc SS. Theol. Doctorem & Professore Ordinarium
audivit,

audivit, cujus privatis multum se debere fatetur lectionibus. In jure
DNORUM Jctorum publicis privatisq; pralectionibus frequentem quoq;
se exhibuit, & imprimis sub DN. GEORGIO LYDERO, Jur. Candi-
dato dignissimo Collegium institutionum habuit, postea vero & quoad his
substitit, nostrâ usus est informatione, Collegij institutionum Dispu-
tatorij & Lectorij ad Pandectas impiger Auditor. Triennio hic peracto
ex voluntate patris ad Academiam Kiloniensem se contulit, ubi quidem
in Professores incidit celeberrimos, & inter hos cum primis Nobilis. &
Amplisf. DN. D. CHRISTOPHORUM SCHULTZIUM, Excellentisf.
& Nobilisf. DN. D. MAGNUM WEDDERKOPHIUM, sed ob impen-
dentem belli tempestatem ultra semestre spatium ibi haud commoratus,
sed Francofurtum ad Oderam profectus, Praeceptores nactus est famige-
ratisimos. Namq; Collegia habuit juris Feudalis ad Synopsin Ludwelli
& Publici ad Brautlachium sub Nobilisf. & Excellentisf. DN. JOHANN.
FRIDER. RHETIO, J. U. D. & Profess. primario & Consiliario Ele-
ctorali: Institutionum & Digestorum ad Brunnemanni questiones Wesenb.
lectorio examinatorium sub Amplisf. & Excellentisf. DN. D. SAMUELE
STRYKIO, Profess. Ordin. & Comite Palatin. Caesareo, sub cujus Prae-
sidio quoq; publicè de Exheredatione Liberosum disputavit: Dispu-
tatorium Snobelianum sub Consultisf. & Excellentisf. DN. D. PETRO
Schulken | Profess. extraordinario. Quibus absolutis ante triennium
iterum hic reversus Collegio nostro ad Paratitl. Wesenbec. Lectorio-exa-
minatorio interfuit. Tum Lubecam repetiit & ante semestre spatium
denuo Musis Gryphicis imprimisq; Collegio Juridico se stitit, & quâ decet
modestiâ supremos in utroq; jure honores ac titulos ambiit. Amplissima
Facultas juridica honestis ejus precibus locum dedit, eumq; ad privatum,
quod rigorosum dicitur, examen admisit, quò cum publicis Lectionibus,
quas ad l. unic. Cod. ut nullus ex vicinis &c. frequenti auditorio
habuit, superato, tandem ad Disputationem Inauguralem, quam de
TUTELA MATERNA conscripsit VIII. hujus Mensis die habendam
viam ipsi aperuit. Ut autem Actus hic solemniter eo reddatur augustior,
Magnificum DN. Academiae Rectorem, Generosum, Nobil-
lissimum,

lissimum, Amplissimum, plurimumq̄ Reverendum, Dica-
sterii, Academiae, Urbis, sacriq̄ Ordinis Senatum, omnium
Facultatum Doctores, Licentiatos, Magistros, cœterosq̄
Cives Academicos ac literarum Fautores, quo par est cultu,
affectu, Collegij Juridici nomine rogatos atq̄ invitatos volo, ut sepositis
gravioribus aliis negotiis prestituto die ab hora 8. in Concilio Academico
presentes esse, inde Facultatem juridicam cum Dn. Candidato in Audi-
torium majus comitari, atq̄ hac sacra suo consensu splendidiora reddere
dignentur. Inibunt hoc facto omnes & singuli apud Collegium nostrum
gratiam immortalem, & Dn. Candidatus nullo non loco & tempore
humanitatis istud officium grato animo agnoscat. Publicatum Gryphis-
waldia tertio Pentecostes die Anno Æra Christiana 1682.

Sub Sigillo Facultatis
Juridicæ.



ULB Halle
004 529 26X 3



SP

VDA







ma, 1682, 4

8

N. RECTOREM
mplisimum, plurimumq;
demia, Urbis, sacriq; Or-
ltatum Doctores, Licen-
q; Cives Academicos
Fautores

SCOVIVS,
egii Consistorii Assessor,
O-DECANUS,
idici nomine

auguralem,

ATERNA,
Consultis.

MICHAELIS,
honoribus ac Privilegiis
consequendis
itorio Majori habebit
officiosè invitat.



ALDIE,
DOISCHERI, Acad. Typogr.
LXXXII.